



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XCIX. Stephanvs V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

ros 24. diaconos 6. Qui defunctus est Kalendis Ianuarii. Hic Episcopis Hispaniarum Epistolam destinavit, in qua multis rationibus, multisq; multorum auctoritatibus, Christum verum, & nō putativum, proprium, & non adoptivū patris filiū esse comprobavit.

## XCVIII.

A. DCCXCV.

## LEO III.

**L**EO, natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos 20. menses 5. dies 16. Hic in natali S. Stephani protomartyris electus est, & insequenti die ordinatus est. Hic cum ex more paratus in Letania, quæ maior dicitur, incederet, ab iniquis Romanorum captus, oculis est priuatus, & lingua truncatus, in arctaq; custodia reclusus. Sed Deo cooperante, & B. Petro suffragante, & visum recepit, & lingua ei ad loquendū restituta est, & ex ipsa custodia liberatus Dei auxilio ad KAROLVM Regem, & Romanorum patritium profectus est: à quo & deuotissimè susceptus est. Quod nefandissimi Romanorum audientes falsa crimina ei imponere studuerunt, vt Regi & omnibus eum ita odiosum efficerent. Sed prædictus Pontifex ad sedem suam reuersus paulo post prænominato Rege præsentem cunctisq; et clero & populo præsentibus, non coactus, sed spontaneus de impositis criminib. iureiurando se expurgavit. Post hæc die Natalis Saluatoris nostri ab omnibus prædictus rex, Romanorū Imperator Augustus est constitutus, & à Papa nominato Pontifice coronatus, & ita eius tempore primum Romanorum imperium peruenit ad Francos. Hic constituit, vt tres dies ante Dominicam ascensionē Letaniæ celebrarentur. Hic ordinavit Episcopos 136. presbyteros 30. diaconos 11. sepultus est .a. 2. Idus Iunii.

## XCIX.

A. DCCCXVI.

## STEPHANVS V.

**S**TEPHANVS, natione Romanus, ex patre Marino, sedit menses 7. Hic ordinavit Episcopos 5. presbyteros 9. diaconos 4.

## C.

A. DCCCXVII.

## PASCHALIS.

**P**ASCHALIS, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos 7. menses 5. dies 13. Ordinavit autē Episcopos, presbyteros, & diaconos per diuersa loca. Hic de his, qui ob causā frigidæ naturæ se dicunt